

ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ

Angelorum,

SVPER GLORIOSA

CHRISTI ΘΕΑΝ

ΘΡΩΠΟΥ ΝΑΤΙ

VITAE.

*ad*

PASTORES BETHLE

MITAS

Paraphrasticè redditum

*à*

IOACHIMO IASCHIO COL-  
BERGENSI &c.

Vitebergæ

Excusum Typis Iohan. Schmidts. Anno

Christi M. DC. VI.



17A 1251



# MAGNIF. ET GENEROS

D<sup>no</sup>. IOANNI OKVN &c. viro-juveni  
eleganter inprimis erudito;

Nec non

D<sup>nis</sup> HECTORI ET GEDEONI &c.

RAIECIIS &c. FRATRIBVS: optima  
spei & indolis adolescentulis

AMICIS ET FAVORIBUS MEIS BENEVOLIS.



*Viva cum Christi gens his de more Calendis  
Dona det, in fidei pignora certa sua:*

*Cur ego tam longo revolutum tempore morem,  
Spes patria o Iuvenes non dubitata, migrem?*

*Et quoniam Æmali non sunt mihi munera Regis,  
Pæana angelicum paupere promo penus.*

*Hanc si materiam numeris trutinabitis equis,  
Attalica possint nil dare majus opes.*

*Sin minus: oblatam gelidi quoq; fluminis olim  
Rex Artoxerxes munere pensat aquam.*

Amoris nec non honoris ergò hoc, quic-  
quid est gratiæ extolvendæ offe-  
ro, dedicoq;.

In Innocentiæ Constantia præsidium.

# ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΟΝ

*Super Christi γεννησιῶνος nativitate*

**Q**uid nova mortales perterritant gaudia mentes  
Curis sepositis? ecquid vox læta triumphat?  
Quid præter morem teneros redimita capillos  
Pax oleâ cunctas terrarum prosperat oras,  
Portarumq; tenet clausum custodia Ianum?  
Talis nulla quies est visa prioribus annis,  
Tam benè composito decurrens tramite rerum.  
Roma triumphato dominans ecce imperat orbi  
Æneadumq; decus Cæsar jam sancta per orbem  
Iura dat, & cives victor populosq; recenset.

Fallor: an illa dies toti optatissima Mundo  
Emicuit, iusti perfecto temporis orbe,  
Autor cum pacis nostram miseratus iniquam  
Sortem, tranquillo voluit nasci ordine rerum.  
Sic est; namq; suum genitor testatus amorem  
Alipedem ætheriâ juvenem demisit ab arce  
Purpureâ insignem chlamide, & talaribus aureis,  
Munera qui genti mortali didita pacis  
Nunciet, atq; incarnati miracula **VERBI**  
Exprimat. Ætherias subito volat ille per auras,  
Mandantisq; Dei magno impete jussa facessit.

Est locus, arboribus densus, crebrisq; salictis,  
Quemq; virent circum frutices, quem flumina latè

Pura tenent. *A D E R* nostri dixere parentes. T. Tyrus.  
Mich. q.  
Forte hic pascentes servabat Tytirus hædos,  
Compulerantq; greges Corydon & Thyrsis agresteis;  
Certantes numeris sublustri noctis in umbra.  
Non arbusta illi, aut humiles, velut ante, myricas  
Non frondes nemorum, aut ignes cecinere Menalæ:  
Sed quam spondebant veterum præsentia vatum,  
Dulcia sidereæ meditantur carmina proli.  
Huc deflectit iter, subitis huc labitur alis  
Numinis instinctu. *NEC* enim sola atria regum  
Nota polo! Tugurî congestum cespite culmen  
Sæpius arridet superis! Hic ille moratus  
Attonitos tali sermone affatur Agresteis,  
Maçti animis, gelido ne quis locus esto timori:  
Nuncius ætheriâ veni demissus ab arce,  
Nuncia læta ferens. O nuncia digna relatu  
Qua circumfusa tellus se porrigit undis.  
Quod votis petiistis, adest: patris ira resedit.  
Pax iterum rediit, niveis pax aurea pennis.  
Ecce etenim vestram mirando fœdere massam  
Indutum *BETHLE* puerum sub mœnia Virgo  
Intacta, in dias emisit luminis auras,  
Delicias vestras, puerum, mortalium amorem.  
O mihi quæ vobis quæ quantaq; gaudia *BETHLE*  
Parva loco, neq; dives agris; sed germine clara  
Iesæo, accumulatur! quantâ dat pace fruisi!

Hic

Hic puer Hebræus, natum quem plorat Apollo,  
Sortilegis jussus Cortinam cedere Delphis,  
Hic venit alma salus, hic spes, hic gaudia, Vita.  
Hic quos tartareo fœdum damnaverat Orco  
Peccatum, ex stygiis ereptos spontè lacunis  
Imperat afflictis melius confidere rebus.  
Hic vestræ totum se destinat ipse Saluti,  
Quo duce, quæ remanent prisca vestigia Culpæ,  
Irrita perpetuâ solvent formidine terras.  
Hic vobis revehit promissæ dona salutis,  
Quæ mox à prima nascentis origine Mundi  
Erexit magni fabricator maximus orbis.  
Hic vos ad magnos proceres Sanctosq; Quirites  
Stellifero illustres animas transmittet olympo,  
Illic perpetuæ ut capiatis gaudia vitæ.

Ergo agite, amissæ repetito munere pacis  
Vestra recens natum mox quærite gaudia regem,  
Quærite, qui vestri sumpsit sibi Corporis artus,  
Qui vultus, vocisq; sonus, qui spiritus illi  
Quiq;, notate, oculi divini signa decoris.  
Neve trahat dubias mentes temerarius error,  
Hoc esto vobis (animos advortite) signum:  
Ah mihi! depositum pecora inter inertia regem  
Versantem præsepe, levi pannoq; repostum  
Cernetis læti divino effulgere honore,  
Qui *DEVS* Saëros montes, Camposq; jacentes

Et Virtute sua picti tentoria Cœli  
Fornice construxit vario, constructaq; servat.  
Sic ait: & dicto citius domus incluta olympi  
Panditur, innumeras & in æthera purgat apertum  
Angelici Cœtus acies, sanctasq; phalanges.

Perstrepit Angelicis procul ictus cantibus æther,  
*LAVS SIT IO superis, sit Io pax aurea terris:*  
Et vera humanas pertentent gaudia mentes!  
Sic ajunt, & se per inania nubila tranant.

Ast illis subitâ gelidus formidine sanguis  
Dirigit: tandem led enim terrore remoto  
Insistuntq; viam, sacra nec mandata morantur.  
Iamq; iter emensi, magalia parva subintrant,  
(Queis neq; Romani certet Domus illa Neronis  
Aurea, nec Bactris, nec si qua feratur ad Indos)  
Huncq; suum longè positum præsepibus altis  
Agnoscent hilares regem, genibusq; salutant  
Inflexis, dominumq; suum reverenter adorant.

Quin risu accepti jucundo ac gestibus æquis,  
Munifica ecce manu dura ad præsepia donant  
Non sanè attalico splendentia munera luxu,  
Non Pelopis censum, non Crœsi multa talenta:  
Frigore dant rigido poma asservata, sub altis  
Illicibusq; favos lectos. Super omnia vultus  
Accessêre boni, nec iners pauperq; Voluntas.

Quis

Quis me quis celebris sistat sub nicœnia Bethles?  
Quis mihi Pegaseas humeris accommodet alas  
Cernere posse domum, confertis oscula labris  
Ferre loco, ac humilem sacris ad voluier aris?  
Quodq; dedit magni præsens clementia cœli  
Munus, cum pecudum juxtâ celebrare Magistris.

O mea mens, meriti tanti non immemor unquam,  
Aspice qui cordo fœno tibi dormiat infans,  
Quis puer hic bellus, quis pusio scitulus ille  
*IESVVS* est dulcis, est dulcis *IESVVS* ille.

O Salve, salve, mihi parvule maxime *IESV*,  
Qui nos mortales peccati compede victos  
Respexit miseris: qui nos complexus amore,  
Excelso veniens subiisti tenuia Cœlo,  
Quas tibi quas tali referam pro munere grates?

Summe opifex rerum, quis te quis sensus amoris,  
Quæ ratio nostri Cœlo deduxit ab alto?  
Quid caput hoc toties, totq; objectare periculis  
Impulit? haud cultu nitido cunabla renident,  
Haud auro strato ve tibi discumbitur Ostro:  
Poneris in vili sublimis gramine, quod vix  
Iumentis aliàs vel pabula lueta ministrat.  
Purpuraq; & Byssus, quibus ô rex Christe superbis,  
Sunt tibi fasciolæ tenues, juncusq; palustris,  
In quibus haud aliter flexâ cervice recumbis  
Quam tibi si stratum præberent cœlica tempe.

Nempe

sempe tibi placitum sic est, sic *IESVLE* visum,  
Ut manifesta dares documenta, paratus inanis  
Quam tibi displiceat vaniq; superbia mundi.

O mea Vita, salus, mea spes, mea sola Voluptas  
*IESVLE* sterne mei thalamum tibi cordis in aula,  
Nulla tui ut nostram capiant oblivia mentem,  
Assidue ut positis exultent pectora curis,  
Atq; tuis læto complaudant Carmine cunis.

Quod superest, Rex nate recens mitissime regum  
Edite Christe *DEVS* nobis *HOMO* lucis in auras,  
Amissæ humano generi qui dona salutis  
Præceptor revehis, fac te fac pectore toto  
Quæsumus, auspiciis vigeant melioribus artes,  
Templa, scholæ: crescant divini oracula Verbi  
Verbi salvifici, quod filii more Ariadnes  
Cæca regat Vitæ dubiæ vestigia, tandem  
Et nos in patrio redivivos sistat olympo.

Sic ego sic tenues dum spiritus hos reget artus,  
In laudes vigilabo tuas, Cunisq; beatis  
Aoniâ natos Parnalsi in rupe, quotannis  
Purpureos flores & Candida lilia spargam.

Ad



AD DEVM

PRO MEDIOCRITATE  
PRECES

Nec nimium, nec minimum *sup. 9.*

**O** Fons vivendi DEVS, ò Sapiencia summa  
Vita ò prasidium certa salusq; mea  
Nec mihi opum pelagus, gazisve elata nimisquam  
Infatuet mentem copia opima meam.  
Sed nec & accisis spebus mens deniq; fracta  
Pauperie immiti turpia ad ausa labet:  
Annue ne nostrum fugiat constantia pectus  
De recto nulla dimoveantq; mina  
Hic ubi flexiloquos stygia adflat Echydna Sophistas,  
Summa imis miscens erigit Hydra caput.  
Sed pia Religio & mediocria commoda vita  
Curriculo foveant me meliore, precor.

Vilnae Littavum recitabam.



B

PRO-

Ad

HECTOREM ET GEDEONEM

RAIECIOS: FRATRES: &c. Nob. Polonos

Discipulos meos jam non meos

Virtute Duce, Comitibus Literis

**E**rgo ô nobilium sanguis generose parentum,  
Meiq; amores maximi

Ob decus ingenii, mores, Virtutis amorem,

Modestiamq; Congruam:

Ergo spem præter vobis hic migro relictis,

Socios via quos voveram,

Ante alios ex quo totâ trieteride succo

Vos literarum hic imbui.

Anne erit, ut mecum forte eam capiat, ut ante,

Quæ Phæbus offert, munera?

Anne erit, ut posthac ad vos perfata revertar

Vultusq; vestros suaviter?

Vixputo, longa nimis spatia interjecta viarum

Hanc spem fovere non sinunt.

O igitur cæpto pergentes tramite, & absq;

Apti natare cortice,

Pieriis flores hortis vernante juventâ

Solenter eia carpite.

Carpite: deproperat cursu quia vita citato.

Rapacis instar fluminis!

Nec pigros unquam ventres claravit inanis

Vitæ otiumq; desidis:

Sed labor atq; Deo pectus plenum omnia vincunt.

VIA NVLLA virtuti abdita!

Hæc

visam  
penjam. 11. Bac. A. 3.  
Lips. cont. 2. Bel. 91

He. 1221

*Hac multi Heroes; fama super aethera notus  
 Hac arte fulget Hercules  
 Hac nomen magnum est cognominis Hector adeptus,  
 Exemplar ut sit posteris.  
 Frater † Alexander gaudens hac extulit arte  
 Clarum omnibus bonis caput.  
 Et quid de vobis, chari, dubitavero, magna  
 Mihi vestra spondet indoles  
 Mascula, virtutis demonstrans signa futura  
 Aperta, clara, illustria.  
 Ah ne transversim laciens Pellacia vulgi  
 De calle recto vos agat.  
 Dum primaeva atas leviori gutture virus,  
 Quam quod salubre est, imbibit.  
 Quin agite, optate macti virtutis honore  
 Laudilitate strenue.  
 Sirenum ad technas, viridi dum messis in herba est,  
 Aures utraq; occludite.  
 Et pecus Agneas natum consumere fruges  
 Horrete toto pectore.  
 Et seu Parrhasios interstat vera Quirites  
 Magmenta laudis querere:  
 Seu terras lustrare alio sub sole calentes,  
 Vacate virtuti unice.  
 Forma & opes pereunt, vires atate fatiscunt;  
 Virtus ruinam una effugit.  
 Caelo hac una beat, Templum hac vivacis honoris  
 Mentisq; recludit Bonae.  
 Usq; adeo vis est virtutis maxima; at hanc se  
 Nunc respues, eris miser!  
 Non villa, sed illa nobilitat*


† Magnif. D<sup>o</sup>  
 ALEXAN-  
 DER Raiecki  
 Vilcom. Reg.  
 Mat. Marefch.  
 &c. Vir inter  
 viros vere MA-  
 GNVS, & Pa-  
 trie suae NE-  
 STOR &c.

VIRTUS.


*Difficile est, fateor, sed tendit in ardua Virtus.*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is enclosed within a faint rectangular border.










B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



ΘΔΙΑΚΟΝ

gelorum,

R GLORIOSA

TI ΘΕΑΝ

LOY NATI

ITATE.

*ad*

ES BETHLE

ITAS

rafficè redditum

*à*

O IASCHIO COL

RGENSI &c.

*bergæ*

s Iohan. Schmidts. Anno

sti M. DC. VI.



17A 1251

